DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA

DE

FISTVLA THORACIS

QVAM

ADNVENTE NVMINE DIVINO

ATQVE AVCTORITATE

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

VIRO

DOCTRINA ET EXPERIENTIA CLARISSIMO DOMINO

DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE

EIVSDEMQVE PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO

AETERNVM VENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS

AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

DIE APRILIS. A. MDCCXXXVI.

IN AVDITORIO MAIORI

EVRVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AVCTOR

JOHANNES Christlieb SCHATTERVS

BORNENSIS MISNICVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

VIRO

PRÆNOBILISSIMO,

EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

DOMINO

D. ERNESTO PETRO MEVDERO

IN METROPOLI ELECTORATVS SAXONICI
MEDICINÆ PRACTICO
CELEBERRIMO

FAVTORI SVO

MAXIMOPERE COLENDO
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS
IN PVBLICAM
OFFICIOSI GRATIQVE ANIMI
TESTIFICATIONEM
VNA CVM VOTO
OMNIGENÆ PROSPERITATIS
DICAT, DEDICAT
ATQVE SE
DE MELIORI IN PERPETVVM
COMMENDAT

MEVDERI NOMINIS

CVLTOR PERPETVVS
AVCTOR



I. I.

PROOEMIVM.

POstquam dissertationem inauguralem conscribere in animum induxi meum, diu omnino hæsi, quam nam eligerem materiam qua cramben sæpius jam coctam haud apponerem: tantus enim Thematum Medicorum jam pertractatorum cumulus mihi obviam processit, ut certissime mihi persuasum haberem, etiam hic locum invenire vetus illud elogium, quod *nihil dicatur, quod non dictum sit prius.* Quapropter defectu novæ materiæ coactus, Thema mihi elegi Medico-Chirurgicum De FISTVLA THORACIS, haud ignarus, minus frequenter hactenus in Illustri hacce

Academia Fridericiana materias Medico-Chirurgicas pro cathedra ventilatas, ac eruditorum examini esse expositas. Accedit, quod, dum Altenburgi, elapso ab hinc biennio per quoddam temporis spatium commorarer, a Celeberrimo atque Experientissimo hujus civitatis Medico ordinario Dno Dr. GOTHOFREDO VIEBEGIO Fautori meo ad cineres usque maxime colendo, cui me maximam partem salutaris doctrinæ debere, publice profiteor, simulque opto, ut Deus multorum atque magnorum in me collatorum beneficiorum, viribus mihi deficientibus, largus ei perpetuusque sit remunerator, casus quidam peculiaris, orbisque eruditi communicationis haud indignus, circa Fistulam Thoracis, mihi traditus fuit, quem Thesi 17 Dissertationis hujus Inauguralis prolixius recensebo; tum de hac materia, tanquam morbo satis molesto, atque curatu difficili agere, illumque Thesibus sequentibus ea, qua fieri potest brevitate, pertractare mecum constitui: Implorato prius humillime æterno Numine, velit huic instituto gratia sua nobis præsens esse, laboribusque nostris assistere quam clementissime!

THES. I.

Fistula, græcis σύριγξ, denotat 1) ulcus, quod vel unum vel plures ſinus calloſos format. 2) inſtrumentum Muſicum, quod germanice eine Pfeiffe dicitur, cui procul dubio ulcus noſtrum, ob ſimilitudinem quam cum tali inſtrumento habet, denominationem ſuam debet; nos vero poſteriorem, ſcopo noſtro minus inſervientem, prætermittentes, priorem ſolum penſitabimus denotationem.

THES. II.

Priusquam vero ad pertractationem ipſius *Fiſtulæ Thoracis* nos accingimus, abſonum haud erit de generali differentia fiſtularum aliquid in medium proferre. Differunt ſcilicet Fiſtulæ 1) ratione *loci*, ubi notandum, quod omnes corporis partes molles aptæ quidem ſint ad formationem fiſtulæ, inter illas tamen geneſi fiſtularum præprimis expoſitæ deprehendantur ductus lacrymalis, Thorax, anus & veſica, quia loca hæc colligendis humoribus præ reliquis deſtinata ſunt eamque ob cauſam illorum congeſtiones ſæpius patiuntur. Differunt 2) ratione *figuræ*: quædam enim modo unum, quædam plures ſinus formant: quædam tantum in ſuperficie ſe extendunt, & muſculos ſolum perforant, quædam in profundum ſe demittunt, & ipſa oſſa atque cartilagines afficiunt. Differunt 3. ratione *materiæ contentæ*, quæ plerumque eſt ichoroſo-ſanioſa, acris, imo teterrimi ſœpius odoris & coloris; hanc tamen materiam vaſa ſanguifera, dum quoque arroduntur, & ſanguinem in ulcus ſtillant, ſœpius in melius mutant, materiamque coctam reddunt: liber enim ſanguinis affluxus mutat

ulcus

ulcus in abſceſſum & vice verſa. Denique 4) diſtinguunt *fiſtulam veram* ab ulcere ſinuoſo, quod ſinus ſuos ad partes laterales modo extendit, excreſcentiasque carnoſas in ſe continet, & callo deſtituitur.

Thes. III.

Præmiſſa differentia generali fiſtularum, ad *Fiſtulam Thoracis*, ut propoſito noſtro propius accedamus, nunc progredimur, & eandem definimus: *quod ſit ulcus thoracis, inter pleuram & muſculos intercoſtales latens, a ſtaſi ſanguinis ibi collecta & in corruptionem deducta, ortum, unum vel plures ſinus calloſos formans, ex quibus materia ichoroſo-ſanioſa, peſſimi coloris, & odoris ſine inſigni dolore profluat.*

Thes. IV.

Subjectum noſtri affectus eſt *Pleura*, lamella illa duplex, muſculis intercoſtalibus adhærens, totumque thoracis cavum cingens, quam ad tales affectus eſſe aptiſſimam illius ſtructura docet, quæ nonſolum eſt membranaceo-tendinoſa, ſed & multis vaſculis ſanguiferis atque lymphalibus intertexta, adeoque ſatis accommodata, quo ſtaſes humorum & extravaſationes, ceu inflammationis fundamentum, in illa occurrere poſſint. Inflammationis autem negotium ſi in hac parte feliciter non ſuccedit, ad fiſtulam thoracis porta aperitur.

Thes. V.

Cauſa hujus mali duplex eſt, nempe vel *interna* vel *externa*. Ad *internam* præcipue pertinet *plethora*, quæ ut plurimum combinata eſt cum humorum *ſpiſſitudine*. Modus autem fiendi ita ſe habet: natura corpus ſuum, ſanguine nimis repletum, hanc abundantiam quovis modo imminuendam intendit, quo actiones ſuas, per talem ſarcinam impeditas, libere iterum exercere poſ-

ſit.

ſit. Ad hanc intentionem perficiendam duabus viis incedit, via nempe *alba* & *rubra*; per *albam* viam intelligimus reſolutionem ſanguinis in ſerum, & excretionem illius per diaphoreſin, per *rubram* autem ſubaudimus ſinceras hæmorrhagias. Prior multis difficultatibus ex ipſa plethoræ præſentia, qua ſe & excretiones periphericas, viam hanc albam conſtituentes, valde impedit & retardat, ſtipata, utplurimum poſteriori viæ, ſcilicet rubræ, poſtponitur. Itaque primario natura hoſtis ſui propulſionem intendit per congeſtiones hæmorrhagicas, ad cujus executionem loca ſibi eligit ad hæmorrhagias apta, inter quæ Thorax, propter incluſos in ſe pulmones, certe non ultimum obtinet locum.

THES. VI.

Iam ſi congeſtio ſanguinis ad pectus contingit, in hoc quidem actu bona eſt naturæ intentio, ſed mala viarum inventio; etſi enim per pulmones hæmorrhagiam impetraret, mala tamen inde profutura e. g. infarctus, ſcirrhus, phthiſis & hujus generis alia pathemata, multum derogarent utilitati quam ſanguinis imminutio per hoc parenchyma facta reſpicit. Non raro autem natura in hac intentione ſua hæmorrhagica alium committit errorem, dum loco pulmonum, congeſtiones ſanguinis ad *pleuram*, ob continuitatem, quam cum pulmonibus habet, dirigit; atque hoc modo congeſtiones tales, ob inde facile pertimeſcendam ſtaſin, itidem ſunt periculoſæ: gaudet enim pleura vaſis ſat multis, iisque admodum anguſtis imo capillaribus; nam ſubſtantia ejus eſt tendinoſo-nervea, hinc ob expanſionis & diſtenſionis ſenſum, ibi excitatum, admodum proclivis ad ſpaſmos, quibus humores, ibidem collecti, facile a libero

bero circulo excluduntur & in ſtaſes abeunt, quæ nomine pleuritidis inſigniuntur.

THES. VII.

Facta igitur ſtaſi, pediſſequa ejus eſt *Inflammatio*, qua natura vel humores ſtagnantes reſolvere & diſcutere, vel partes agiliores ſulphureas diſſipare, & materiam ſtagnantem in pus laudabile convertere allaborat; quæ vero ſi minus proſpere ſuccedunt, particulæ illæ ſulphureæ agiles, in ſtaſi adhuc ſuperſtites, motu ſuo inteſtino, quo natura ſua gaudent, in fermentationem pernicioſam abeunt, eoque motu fermentativo producitur materia ulceroſo ſanioſa, ſalino corroſiva, quæ partes adjacentes arrodit, conſumit, atque hoc modo fiſtulam & ſinus format.

THES. VIII.

Ad, cauſas nunc progredimur *externas*, quæ ad noſtrum affectum ſymbolum ſuum conferunt; ubi præ aliis accuſatur repentina *refrigeratio* corporis, præcipue in transſpiratione conſtituti. Hac enim ratione humores, peripheriam corporis occupantes, a celeri motus tonici alteratione confeſtim ad centrum repelluntur, qui vero a vaſis illis capillaribus venoſis, in extremitatibus ſuis valde exilibus admodum anguſtis, non tam cito recipi iterum poſſunt, adeoque facile in ſtaſes vel ſugillationes abeunt. Porro hic accuſantur *Violentiæ externæ*, corpori illatæ, cujus generis ſunt niſus pectoris fortiores cum ſuppreſſione violenta ſpiritus, ponderum graviorum repentinæ elevationes ac geſtationes, ſub quibus præcipue aër in Thorace vehementer comprimitur, maxime ſi tales ponderum in altum elevationes cum applicatione pectoris ſpeciali, contingunt; item

tem violentiæ pectoris a casu & contusione per pondera illapsa, & tandem vulneratoriæ læsiones, quibus & pleura & musculi intercostales afficiuntur.

THES. IX.

Ad causas *proximas* referri meretur primum negligentia & imperitia Chirurgorum, qui ad vulnerum *mundificationem* non satis respiciunt, adeoque materiam excernendam, in principio sæpius insipidam, per temporis moram in acrem & vellicantem transire sinunt; Corrumpuntur enim, ni moveantur, aquæ, secundum Poetam; quod etiam de materia purulenta omni jure est asserendum. Deinde si *turundæ*, præcipue septico quodam ad colliquationem materiæ imbutæ, per plures dies immutatæ in vulnere relinquuntur.

THES. X.

Causis tam generalioribus, quam specialioribus hujus affectus in medium prolatis, nunc recordamur, nos in definitione posuisse, quod Fistula unum vel plures sinus callosos formet; quare necesse est, ut perquiramus, unde nam callus ille oriatur? sequentem autem in modum eundem fieri, nobis persuasum habemus: Materia acris corrosiva, in ulcere præsens, imprimit naturæ sensum valde adversum, atque structuræ corporis sui noxium; quapropter ad partes adjacentes defendendas, ne materia illa corrosiva iis quoque damnum inferat, singularem ibi instituit defensionem, ulcerique opponit latera sat crassa & robusta, per particularem quasi nutritionem ibi formata & nomine calli insignienda. Hanc rem illustrant *clavi pedum*, qui eodem modo a natura sensui illi attritorio, a calceo in pede facto, opponuntur.

THES. XI.

Quod vero ejusmodi quasi multiplicatio vel expansio lamellarum, pleuram constituentium, præsente ulcere vel alia materia noxia fiat, testatur *Riolanus*, qui affirmat, se multoties in pleuriticis defunctis pleuram decuplo crassiorem, quam ordinarie esse solet, in loco inflammationis invenisse. Quapropter opinionem illorum, de Fistula Thoracis dubitantium, minus fundatam esse existimo; nam rationem, quam hac de re allegant, quod scilicet tenuis illa textura pleuræ materiam acrem rodentem haud diu in se continere possit, sed ulcus thoracis semper in empyema transeat, asserto illo *Riolani* jam refutavimus; & si natura in aliis ulceribus ad defensionem partium adjacentium, haud nobilium, v. g. musculorum &c. callos format, multo magis tali præcautione utetur in ulcere thoracis, vel potius pleuræ, ad partes ibi inclusas sat nobiles defendendas; quæ omnino rupto ulcere & empyemate prognato arrosioni exponerentur.

THES. XII.

Præmissis theoreticis considerationibus ad ipsam curationem properamus, quæ dividitur in *internam* & *externam*; de *interna* indicationes duæ formari possunt, scilicet, ut affluxus inhibeatur & humores resolvantur atque corrigantur. Primæ indicationi satisfaciunt moderatiora purgantia, cruditates primarum viarum per alvum educentia, & humores ad partes inferiores derivantia. Pro scopis hisce obtinendis præcipue commendantur: Resin. Ialapp. Scammon. Sulph. Extr. Catholic. MP. de Succ. Craton. Extr. Panchym. Croll. Extr. Hellebor. nigr. Aloe. Gummos. quibus mercur. dulc.

com-

commode addi poteſt. Formulæ poſſunt eſſe ſequentes;

Rec. Extr. Panchym. Croll.
M. de Succ, Craton. aa. gr. VI.
Mercur. dulc. gr. III.
Reſin Ialap. gr. II.
Ol. Fœnicul. gtt. ij.
M. f. l. a. Pil. No. XX. S.
Purgier Pillen auf ein Mahl.

Rec. Scamm. Sulphurat.
Mercur. dulc. ad gr. VI.
Conch. pp. gr. X. M. D S.
Purgier Pulver auf ein Mahl.

Huc etiam præcipue pertinent Pil. *Beccheri* & *Stahlii*, quibus non ſolum directio humorum ad partes inferiores, ſed & egregia humorum correctio & reſolutio impetratur.

THES. XIII.

Secundæ indicationi conveniunt omnis generis reſolventia, & præprimis ſic dicta catarrhalia; item diaphoretica & diuretica; quæ poſteriora materiam peccantem & impuritatem e ſanguine removent, ne ulterius in partem affectam influant, & æqualem humorum diſtributionem conſervant: Priora vero vim ſuam præcipue edunt in ſerum & lympham, eamque corrigunt & reſolvunt. Horum generum ſunt Eſſ. Succ. Card. Ben. Lignor. Tinct. Antimonii, tartari, Eſſ. Alex. Stahl. Pimp. alb. Decoctum Lign. Quajac. Saſſafr. Iuniperi,

Species Paracelsi, Rad. Ari. Pimp. alb. Vincetox. Helen. Bard. Petasit. Scorzon. Hb. Scord. Plantag. Chærefol. Scabios. Millefol. Pyrol. nec non absorbentia, tam simplicia quam citrata, quibus Mercur. dulc. cum antimon. diaph. in pauca quantitate magno cum emolumento addi potest. Formulæ resolventes possunt esse sequentes.

Rec. Rad. Ari
Pimp. alb. aa unc. semis.
Vincetox. unc. j.
Hb. Capil. ven.
Pyrol.
Sanicul.
Cuscut.
Veron aa Man. semis.
Lig. Sassafr. unc. j.
Sem. fœnic. drachm. iij.
Inc. Cont. M. D. S.
species von welchen ein Löffel voll mit einer halben Kanne siedendes Wassers zu infundiren, und wohl extrahirt vor und Nachmittags als ein Theé zu trincken.

Rec. Tinct. Antimon.
Ess. Succ.
Pimp. alb. aa. drachm. iij.
M. D. S.
Resolvirende Mixtur zu 40. Tropffen.

Rec. Conch. ppt.
Antimon. diaph. aa. drachm. sem.

Mer-

Mercur. dulc. ſcrup. j.
M. diu. in VI. pt.

THES. XIV.

Indicata curatione interna progredimur ad *externam*, quæ tres in ſe continet indicationes, *Inciſionem*, *Mundificationem* & *Conſolidationem*. Quod *Inciſionem* concernit, hæc omnino maxime neceſſaria eſt; alias enim, propter anguſtiam canalis, mundificatio minus exacte perfici poteſt. Ordinarie quidem requiritur, ut totus ſinus fiſtulæ ad fundum usque ſecetur, ſed quia in Fiſtula Thoracis coſtæ adjacentes impediunt, quo minus ſectio ad fundum usque perfici queat, tum in loco illo, quem fiſtula occupat, quique levi aliqua protuberantia nobis innoteſcit, (ſi nempe fiſtula materia ſua cauſtica exitum ſibi nondum paravit,) lanceola quadam ſectio eſt inſtutuenda per cutem, muſculos intercoſtales ad pleuram usque procedens.

THES. XV.

Facta inciſione *Mundificatio* præcipue eſt reſpicienda, multis difficultatibus ſæpe ſtipata; perficitur vero vario medicamentorum apparatu; quorſum ſeptica & traumatica præprimis pertinent v. g. Vnguent. Aegypt. Mercur. præcip. rub. Vng. digeſt. Æs uſt. quod tamen, caute adhibendum, uti alia ex cupro parata, quia facile ipſa oſſa arrodunt, & nigredine obducunt. Vegetabilia acria tam in forma pulveris, quam decocti, Rad. Ari. Pimp. alb. Ariſtol. rotund. Gentian. Hb. Pyrol. Sanic. Heder. terreſtr. Alchimill. Cent. min. Millefol. Extr. Tabac. Circa ſeptica cautione opus eſt, ne nimis cito adhibe-

hibeantur, neque nimis diu in fiſtula maneant, alias arroſio profundior redditur, dolores augentur, & affluxus humorum excitatur. Quapropter per aliquot horas ſepticis adhibitis illico Balſamica ſunt ſubſtituenda. Ne vero a ſenſu illo rodente & ſeptico affluxus humorum excitatus in ſtaſin iterum abeat, & nova incommoda creet, perpetuo diſcutientia camphorata & nervina, vel in forma Epithematis ſicci vel Empl. in peripheria externa fiſtulæ ſunt applicanda, qualia ſunt Empl. Nerv. Mynſicht. Empl. fuſcum Norinbr. camphorat. Empl. Saponat. Barbett. camphorat. Rad. Irid. Florent. Ariſtol. rot. Bryon. Sigill. Salam. Caryophyl. Valerian. Hb. Adianth. alb. Serpil. Marrub. Cham. Cuſcut. Fl. Stœch. arab. Sambuc. Roſ. rub. Sem. Fœnic. Carv. Camph. Farin. fabar. Exulent vero hic linimenta pinguia oleoſa, & hujus generis alia, quæ poros obducunt & transſpirationem impediunt.

THES. XVI.

Facta ſufficiente mundificatione, præcipue ablatione fibrillarum corruptarum, lateribus adhærentium, fundoque fiſtulæ ſincerum ſanguinem ſtillante, *Conſolidatio* inſtituenda eſt, quem in finem utiliter adhibentur Eſſ. Succ. Myrrh. Balſ. Peruv. ol. ovor. Cavendum autem eſt chirurgo, ne facta ſuperficiali mundificatione fiſtulæ conſolidationem inſtituat, alias materia illa acris, in fundo fiſtulæ adhuc ſuperſtes, impacta redditur, majoresque ſinus ſibi format, donec tandem opus de novo iterum ſuſcipere cogatur; Quapropter priusquam conſolidationem reſpiciat, accuratam ſemper inſtituat viſitationem, ut de ſufficiente ad fundum usque fiſtulæ mundificatione facta ſit certiſſimus. Hæc vero

cer-

certitudo uti in omnibus fiſtulis, inter oſſa latentibus, admodum eſt difficilis; ita præcipue Fiſtula Thoracis multa patitur obſtacula, quæ impediunt, quo minus hæc exacte impetrari posſit. Qua propter ſi ſuſpicio adeſt, quod in fundo adhuc aliquid materiæ ulceroſæ reſtet, quæ aliis remediis minus removeri poſſit, *cauterium potentiale* circa *orificium* fiſtulæ applicare licet, quo ſenſu adverſo natura commota objectum hoc, ſtructuræ corporis ſui deſtructionem minitans, omni modo omnique ratione removere intendit; in quem finem humores ad locum affectum dirigit (uti & in ambuſtione partium carnoſarum patet) atque hocce remedio vim rodentem obtundere, & corpus ſuum integrum conſervare ſtudet; ad quam intentionem eo melius eoque citius perficiendam humores, qui loco affecto ſunt proximiores, arripit atque extrorſum protrudit, quo actu ſæpe materiam ulceroſam, in fundo fiſtulæ adhuc latentem, ſimul proſcribit, fiſtulamque ad ſolidam conſolidationem aptam reddit: Hujus rei & effectus teſtimonium dare nobis poteſt ſequens exemplum.

Thes. XVII.

Puer octo circiter annorum laborabat Fiſtula Thoracis, ulnæ quadrantem excedente, hæc per longum temporis ſpatium omni cura atque ſolicitudine a Medico illo celeberrimo, in Proœmio jam nominato, & Chirurgo tractata, ſpem eis tandem fecit ſufficientis factæ mundificationis, & inde felicis futuræ conſolidationis, quam remediis quoque ordinariis atque probatis tentatam aliquoties impetrabant. Sed quia in fundo fiſtulæ, ob magnam ejus profunditatem, ſemper adhuc aliquid materiæ ulceroſæ relicta fuerat, quod Medico & Chi-

rurgo, propter aditum a costis adjacentibus maxime clausum, fuerat incognitum, elapsa una vel altera, post impetratam superficialem consolidationem, septimana, res semper iterum in pejus cessit, atque in recidivam abiit: Tandem Medicus, omni spe solidæ consolidationis hoc modo evanescente, applicavit *circa orificium* fistulæ causticum potentiale, *lapidem* scilicet *infernalem*, relicta in medio aliqua apertura ad promanationem materiæ ulcerosæ, addito simul interdicto, ne quis adstantium, se inscio, fasciam solveret; quamvis horrenda interim orirentur symptomata, imo convulsiones ipsæ. Nihilominus elapso aliquot horarum spatio, fasciaque a Medico & Chirurgo soluta, ingentem cumulum materiæ ulcerosæ e Fistula illa Thoracis a natura protrusæ reperierunt, impetrataque hac ratione plenaria fistulæ mundificatione consolidatio feliciter processit, & nunc per multos jam annos sanus & incolumis patiens vivit.

THES. XVIII.

Diætam tandem in hoc affectu observandam, quod attinet, eam admodum scrupulosam minus necesse esse, persuasum habeo. Quapropter modo commendo, ut patiens in usu rerum non naturalium sobrium se gerat, & præcipue omnes animi affectus graviores cane & angue pejus fugiat. Hisce labori meo Finem; Deo autem pro concessis viribus laudem tribuo.

T A N T V M.

VIRO

VIRO IVVENI
NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
IO. CHRISTLIEB SCHATTERO
S. D. P.

PRÆSES.

Plenus es, Canditate clarissime, festinationis: quare dissertationem Tuam inauguralem curatius perlustrare non potui. Interim eamdem perlegendo observare licuit, quod in curandis fistulis cum generalioribus quidem scholæ medicæ præceptis concordes, ad pleniorem autem horum vlcerum purgationem singulare commodum in causticis remediis iisque non purgandis, sed purgatis regionibus adplicandis, inuenisse arbitreris. Niteris experientia Viri celeberrimi, VIEBEGII, cuius auctoritati vt quid quam detraham tantum a me abest, vt potius hostem e recessibus suis prolactare acutum in bello cogitatum iudicem. Quemadmodum autem mediocritas optima regula est in rebus quibuscumque perficiendis: sic illectationem hanc medicam non ad dira symptomata, nedum ad conuulsiones, me quidem moderatore, extenderem. Ceterum, Vir Clarissime, de absoluto vitæ academicæ stadio gratulor & vere gratulor. Vale! d. e. mus. d. XIV. Aprilis MDCCXXVI.